~ Henrico #1

DE. ADVENTV
HENRICI III
REGIS. CHRISTIANISS.
IN
Venetam urbem.

Sanguine caeſorum, & triſti caligine flammae
Nauſeat Hadriacus dum Leo, fata iuuant.
Lilia vel Scythicas inter fragrantia rupes,
Gallia quae gignit diues, adeſſe iubent.
Haec vt odoratus Leo, geſtijt; atq. ait, aeger,
Talia cui ſpirent Lilia, an eſſe poteſt?

Franciſci Morandi.

DE . VENETO . SENATV

HENRICVM . VALESIVM

R E G E M

magnificentiſs. poſt hominum memoriam
hoſpitijs excipiente.

Videre Veneti nuper innumerabiles
Gentes, ſuos interuagari limites,
At quas? Tyranni ſubditas Aſiae iugo,
Sibi perenni diſſidentes proelio,
Nefas in omne, in omne lubricas ſcelus:
Fudere Veneti nuper aeris plurimum,
In reprimendis, opprimendisq. hoſtibus.
At nunc vident frequentius, quam viderint
Vmquam, ſua inter tecta, & aulas regias,
Agmen heroum, atq. inſigniorum principum,
Henrici amica fata proſequentium,
Quos iam ſibi veterrima iunctos fide,
Et admodum tenaci amoris vinculo,
Laetiſſimo amplectuntur ore, cordeq.
Nec hoſpiti minora fundunt munera,
Phaeaciae quam rex Vlyſſi fuderit,
Cum victor vrbe rediret euerſa Phrygum.
Quin tanta nec quiuiſſe credas Attalum,
Alium ve regem quamlibet ditiſſimum.
Quid ergo id eſt, quod Veneta nunc Reſpublica
Vllum modum aeris erogandi non facit?
Profecto, vt ipſum aes ſit terendo illuſtrius;
Ita Venetum, hac in re, nitet ſplendor magis.

Franciſci Morandi.

XXX
94-B17793

THE GETTY CENTER
LIBRARY

Г МОКРИДП